



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Prophetia Apocalyptica S. Joannis Apostoli**

**Kircher, Heinrich**

**Coloniæ Agrippinæ, 1676**

§. I. Descriptio Verbi.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39100**

INITIUM S. EVANGELII  
SECUNDUM JOANNEM.  
CUM SUCCINCTO COMMENTARIOLO;  
DIVISO IN TRES SECTIONS,  
SIVE IN NOVEM PARAGRAPHOS.

PRÆFATIUNCULA.

Oportet ut hoc Initium Evangelii sit præcipue  
Mysteriis refertum cum sancta Ecclesia illud  
prælegat passim; nec desint Fideles qui piè appendant  
illud collo, aut secum gestent. Aperiat nobis DEUS  
sensum: Domine, DAMIHI INTELLECTUM.

SECTIO I.

*De Mysteriis Personarum Divinarum.*

Patere te rapi omni procul terrenâ cogitatione in ady-  
ta SS. TRINITATIS, quæ tibi referat fides hujus initii  
Evangelii.

S. I.

*Descriptio VERBI.*

In Principio erat VERBUM: & VERBUM erat apud  
DEUM: & DEUS erat VERBUM.

Inest vocibus singulis suum pondus.

ERAT productum ab æter- Actione immanente IN suo PRIN-  
no; ita ut de illo sit perpetuo CIPIO à quo producitür: non sicut  
dicere, Erat, & immutabili- alia quæ ad extra efficiuntur.

ter, ante sæcula.

Admirabili, Generatione; purissi-

*Pars II.*

Y

mā enim tanquam VERBI quod sibi intus generat qui dicit; consimillimum cogitationi progenerantis seu proferentis.

2. Erat APUD DEUM. Persona distincta à Generante: correlata ad eundem: inseparabilis ab illo: æqualis illi: subsistens juxta & æquē atque ille.

Nam in creatis quidem Verbum, quod formant in mente, est accidens vitale: sed in DEO, in quo nequit esse accidens ullum, est Substantia & consubsistens loquenti, ipsumque audiens. Quæ est præ eminentia VERBI divini editi perfectissimā locutione vitali.

3. DEUS ERAT VERBUM. Naturā seu Deitate eādem. Hæc enim etiam est præ eminentia Generationis DEI solius, quod qui generatur Alter quidem sit à Patre, sed de cætero totus unum naturā & attributis, qui acceperit ipsummet Esse & vivere quod habet is qui generavit.

Quæ ecce est Generatio exactissima: quoniam omnis generatio viventis tendit ad alterum se producendum, communicando ei naturam quantum generans potest eandem: quod si, ut in creatis, non possit eandem individuum, saltem specie dat e-

andem. Nulla proinde alia generatio univoca est ei qua gignitur hoc VERBUM: nulla æquē naturalis, neque tam propriè dicta generatio, Filii naturalissimi omnium; utpote quæ à principio vitæ conjuncto in similitudinem sit omnium summam.

Et quidem sicut generatim omni est interno verbo commune, similitudinem esse intus expressam à dicente: Imagini quoque hoc commune, ut exhibeat ac representet prototypon: Filio ut referat Patrem tanquam alter ipse: Ita oportet ut perfectissimi sit VERBI, esse similitudinem omnimodis expressam: Imaginis perfectissimæ, representare usquequaque suum Prototypon: Filii perfectissimè generati, sic proflus referte Patrem, ut, præterquam quod sit alter & genitus, sit ipse omnino unum & id quod est Generans. Adcoque necessariò terminus divinæ Generationis est, quam excellentissimè, simul VERBUM Patris, Imago Patris, & Filius.

Summa hujus paragraphi.

Ecce quid erat VERBUM æternè:

Productum Generatione ut VERBUM immanens:

Distinctum Personalitate:

Idem Divinitate.

## S. II.

### Mentio TRINITATIS.

, Hoc erat in Principio apud DEUM.

1. **A**bsit ut repetitio sit otiosa, cum dicitur: APUD DEUM. Sensus enim esto: Hæ duæ Personæ, HOC arcanum VERBUM IN

suo intimo PRINCIPIO, ERANT ab æterno simul cum alia & APUD aliam tertiam, quæ etiam ipsa DEUS consors amborū Patris & Filii.

Ita